UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli Neapol. Societ. Iesv

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1620

S. Henricus Imperator, ibid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60948

Visual Library

XXIX.

LVDOVICVS PIVS IMP.

36 LVdouicus Pius Caroli Magni filius templa in Virginis honorem conſtruxit, cui ita addictus fuit, vt ne venatum quidem proficiſceretur, niſi ſacram Deiparæ Imaginem ſecum ferret, vt coram illa in media ſolitudine ſuas funderet preces, auctore Crantzio in Metrop. lib. 1. cap. 10. *Ludouici Pij in Deiparam religio.* *Crantz.*

XXX.

SANCTVS HENRICVS Imperator.

SAnctus Henricus Imperator, cuius memoria in Roman. Martyrol. die 14. Iunij recolitur cum S. Chunigundæ coniuge, de qua in eodem Martyrolog. die 3. Martij, perpetuam virginitatem ſingulari Deiparæ ope illibatam ſeruauit. obijt autem anno Domini 1024. Is in eadem Deipara colenda adeo fuit ſtudioſus, vt teſte Ioanne Nauclero generatione 34. ingrediens in Vrbem, primam noctem in Baſilica Sãctę Mariæ Maioris ſemper excubare ſoleret. ſemel autem viſione quadam *S. Henricus Imper.* *S. Chunegunda Imperatrix.* *Martyrol. Roman.* *Naucler.*

dam admirabili dignatus eſt, quam verbis Naucleri referam, quod ex ea S. Henrici religio ac pietas in Virginem ſanctiſſimam, eiuſdemque Virginis in eum benignitas perſpicuè appareat.

Viſio Henrici Imper.

Fertur, *inquit*, de Henrico hoc, quod ſemper primam noctem ingrediens Vrbem, ſolitus fuerit in Eccleſia S. Mariæ Maioris manere. contigit autem ſemel, quod dum ſolitarius oraret. viſus ſit ſibi Chriſtus pontificalibus indutus procedere, Miſſamque celebraturus: quem ſequebatur S. Laurentius, & loco ſubdiaconi Vincentius: poſt hos Virgo Dei Genitrix cum multitudine virginum, & Angelorum: dehinc Ioannes Baptiſta cum Patriarchis, & Prophetis: poſt hos Petrus, & Ioannes cum cæteris Apoſtolis, & Euangeliſtis: S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cũ Confeſſoribus. Angeli autem inceperunt Introitum: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam*, & dum cantaretur: *Dextera tua plena eſt iuſtitia*, omnes Chriſtum, & B. Virginem imitãtes, extenderunt digitos in Henricum: poſt Euangelium indicibili iubilo Angelus librum deoſculatum à Chriſto, præſentauit B. Mariæ, & poſt eam omnibus per ordinem deoſculandum: demùm innuit B. Virgo Angelo, vt porrigeret librũ

etiam

etiam Henrico ad oſculandum, dicens: *Prabe ei pacis oſculum, cuius mihi virginitas placet:* & cùm præ nimio gaudio raptus, neſciret ad plenū intendere: Angelus ipſum in neruo tangens, dicit: *Hoc tibi erit ſignum dilectionis Dei propter tuam caſtitatem, & iuſtitiam*, & exinde vſque ad mortem claudicabat: ex quo euentu vocatus eſt Henricus Claudus. Hactenus Nauclerus.

Eiuſdem virginitatē Deiparā gratiſſimā eſſe ſibi indicauit.

Idem S. Henricus plurima erexit templa, de quibus, ac de eius caſtimonia Gottifredus Viterbienſis in ſuo Chronico ſic cecinit:

Gottifred.

Coniuge virginea Virgo permanſit, & ille
Catholicas dedit Eccleſias numero quaſi mille.

Inter alia porrò templa Spiræ primarium templum in Deiparę honorem regia magnificentia conſtruere cœpit, quod poſtea Conradus II. perfecit. ex quibus omnibus non tantùm eius in Virginem ſtudium, verùm etiam quantum illud Virgini acceptum fuerit facilè cognoſci poteſt.

Conradus II. Imper.

***

SAN-